

Die Urkunden Karls des Großen, 96

Karolus gratia dei rex Francorum et Longobardorum ac patricius Romanorum vir illuster.
Si petitionibus sacerdotum, quod ad profectum ecclesiarum pertinet, devota mente
praestamus, retributorem omnium bonorum Jesum Christum ex hoc nos habere
confidimus..... petiit celsitudinem nostram venerabilis vir Manasses abba de monasterio
quod vocatur Flaviniacus in pago Alsinsi, quod est constructum in honore domini nostri
Iesu Christi vel sancti Petri et sancti Praeiecti, ut omne teloneum infra regnum nostrum de
negotiantibus eorum vel de omnibus hominibus eorum, qui per ipsam casam sperare
videntur, [.....] ut nullum teloneum dare non debeant in civitatibus marcatis vicis villis
pontis portibus nec ipsi monachi seu negotiantes eorum et homines eorum, qui per ipsam
casam sperare videntur, nec teloneum nec pontaticum nec rotaticum nec borganaticum nec
pulveraticum nec mutaticum nec ripaticum nec salutaticum nec laudaticum nec travaticum
nec de hoc, quod homines eorum ad dorsum portare videntur; et quidquid exinde ad partem
fisci nostri reddere debent, totum in luminaribus vel in stipendia monachorum et
susceptionem pauperum in nostra elemosina ad ipsam casam dei concessimus, quas nunc et
moderno tempore concessum atque indultum esse volumus, ut, sicut diximus, de omnibus
teloneis in civitatibus vicis villabus pontis portibus pontatico rotatico borganatico
pulveratico mutatico ripatico salutatico laudatico trabatico et de hoc, quod homines eorum
ad dorsum portant, et de negotiantibus eorum vel de omnibus hominibus eorum devote pro
ipsa casa dei sancti Petri et sancti Praeiecti omni tempore perpetualiter concessimus atque
indulsimus. Similiter concedimus ad ipsam casam dei in villabus eorum seu super
terraturis eorum vel cinctus eorum infra aut ad foris ibidem advenerint et quidquid ibidem
negotiatum fuerit, omne teloneum, sicut superius diximus, ad ipsam casam per nostram
praeceptionem concessimus. Et ut haec praeceptio firmior habeatur et per tempora melius
conservetur, manu nostra subter decrevimus adfirmare.

Data die V non. mai. et scripta per Radonem apud Theodonem villam palatio publico, anno
VII praedicti domni nostri Karoli.